[App.B.24, m.35]

rum; et sæpius e vivo delineari curavi —

Dum ego tamen patriis vegetabilibus tacitam at assiduam operam impendebam, cœperant hæ in exterorum botanicorum manus pervenire, et varia, ut assolet, de iisdem ferebantur judicia. Sed quam difficile sit ab unico specimine inspecto, et hoc sicco, et hoc sæpius manco, et hoc forsan falso de novæ cujusdam speciei legitima distinctione ab affinibus æquum judicium ferre, propria experientia edocti botanici bene norunt. Adeo nil mirum si stirpes meæ aliquot ob falsa vel manca specimina fors etiam nimis festinanter inspecta, nec sedulo cum editis descriptionibus comparata, ad diversissimas plantas ab exteris aliquin spectabilibus viris injuria relatæ sint, obliti sane neminem, caeteris paribus, de plantis alicujus loci minori errandi probabilitate aliquid certi statuere posse, quam qui eas loco natali virides florentesque millies viderit, centies legerit, et omnes variationes stirpis probe notaverit, de constantioribus differentiis sollicitus, ut ipsas a minus firmis ~~propria~~ observatione propria distinguat. Certum est, nec siccorum speciminum studio, nec ipsa plantarum cultura, quæ ditioribus succis et affinium specierum pollinis admixtione notas earundem minuit, auget, vitiat, immutat, adeo exactam speciei notionem acquiri, quam observatione multiplici vivarum spontanearumque stirpium locis natalibus instituta.

Taedebat, nec inficior, durissimæ in plantas nostras sententiæ, quippe quæ lata juxta specimina non solum dubia, cum originalia et ab autoris manu non essent, sed sæpius falsa, ut mihi aperte constabat. Aegre ferebam insuper plantas jam cognitas, sed a me primum in Dalmatia observatas et a me ipso aliis communicatas, in novis quibusdam Floris

sub horum nomine horumque fide referri, et dum ego tempus et operam in Flora dalmatica perlustranda impenderem, alios non suis inventibus apud exteros gloriari. Sic vos non vobis mellificatis, apes!

Quapropter et speciebus meis a sententia illorum sæpius injuste, quatenus liceret, vindicandis, et ne jamdiu suscepti laboris fructus qualiscumque longius lateret et ignavo silentio tectus penitus exolesceret, neve Dalmatia Flora sua diutius careret, ad plantas omnes in ejusdem confiniis hactenus observatas mihique visas methodico ordine digerendas, earumque differentias exarandas, totiusque hujus vegetationis historiam ingenuitate et diligentia, qua par est, botanicis exhibendam animum appuli, omni ope enixus, ut opus inde nasciturum nil eorum praetermissum aequis censoribus videretur, quæ in hujusmodi operibus solent exquiri.

Et primum quoad methodum seligendam, qua plantas disponere debuissem, diu anceps haesi utrum naturalem, ut ajunt, sequerer an linneanam: illam nihilominus prætulissem si ipsi ordinum naturalium asseclæ in classibus statuendis magis concordes essent, quo fit ut tot fere methodos habeamus quot opera saltem præcipua juxta ordines illos digesta, quorum quam praeferas plane ignoras. Rebar insuper in Floris specialibus paucæ cujusque regionis ordinum horum nexum ac seriem frequenter graviterque interrumpi necessum esse, ob ordinum plurium, præsertim exoticorum, defectum: hinc methodum illam minus hisce operibus facere quam generalibus. In eorum tamen gratiam qui ordinibus illis magis indulgent, utque horum numerus, amplitudo ac mutua proportio lectoribus uno obtutu pateret, conspectum stirpium nostratum juxta recentiorum ordines naturales operi adjeci, et prætera cuique generi nomen ordinis, sub quo militat, diligenter apposui.

Systema, sive potius, methodum linnaeanam secutus sum, cujus facilitati amoenitatique botanicam incrementa ac diffusionem suam maxima ex parte debere neminem latet.

Nihilo tamen secius haud me fugiebat quasdam hac ipsa in methodo dari mendas, quae saepius praecipuo illo facilitatis honore methodum viduabant, atque tyrones in conquirendis vegetabilibus insido ducentes tramite recto avertebant. Jamdiu botanici animadverterant orga:norum sexualium dispersionem in eodem vel duobus tribusve individuis ejusdem speciei, unde ortae erant classes Monoecia, Dioecia, et Polygamia, frequentissimis exceptionibus laborare: viderant in uno eodemque plan:tarum genere dari species floribus hermaphroditis, et aliis unisexualibus praeditis, quin genere sejungi possent: noverant immo eamdem plan:tam unico sexu donatam saepius utrosque proferre, et e contra herma:phroditam stirpem alterius sexus abortu interdum unisexualem evadere; dolebant denique classes illas unico hoc tamque variabili charactere suffultas ordines naturales omnes dispergere, ac ejusdem ordinis plantas in diversas abjicere, ita ut linnaeana distributione Triticum longe distaret ab Hordeo, Galium a Vaillantia, Chenopodium ab Atriplice, et sic de plurimis. Hisce rationibus ductus, auctoritati obsequens illustrium virorum Thunbergi, Gmelini, Cavanillesii, im:mo ipsius Linnaei filii, aliorumque, tyronum maxime utilitati prospiciens, cupiens denique artificialem methodum methodo naturali in quantum possibile est arctius approximare, aut saltem minus infensam reddere, Monoeciam, Dioeciam et Polygamiam e classium numero expunxi. Dodecandriam insuper classium linnaeanarum certe imperfectissimam, et magis artificialem, quippe quae species comprehendat

numero staminum maxime variantes, et hoc unico variationis characterem
innitatur, consulto omisi, atque hujus et pręcedentium genera in classes
reliquas quibus iisdem Linnęi pręceptis integrendo jure merito pertinebant
amandavi: quo consilio plantas ~~[illegible]~~ omnes in classes viginti distributas exhibui.
Prӕterea, ut [illegible] plantę cujusvis classis et genus a tyronibus comperire-
tur, linnęanam methodum methodo analytica, sive ut ajunt dichotoma,
cujus Lohrenius auctor est, copulavi: hinc operi meo classium tabulam
analyticam anteposui, et simili modo unique classi tabulam analyticam
generum in hac contentorum praefixi, quibus tabulis quęsitę plantę
classis genusque leviori negotio invenitur, sed hoc nonnisi postquam
qui quęrit potissimis plantę notis diligenter studuerit. Expertus tamen
hac ipsa in via haud rarum esse a recta deflectere et in falsum
genus incidere, tyrones moneo, ut invento generis nomine specialem
conferant generis characterem, quem si quęsitę plantę notis ad unguem
respondere dignoscant se verum ejusdem genus reperisse lętentur, sin
minus, intelligant in hac investigatione uno alterove loco errasse, et
ad tabulam classis redeant et attentius exquirant, commissum
errorem detegant, verumque genus plantę suę manifestantur.
Quoad species, conferenti mihi sępenumero plantas nostras jam cognitas
cum earumdem diagnosibus ac descriptionibus in operibus etiam gra-
sioribus exaratis, facile patuit ob soli coelique diversitatem descri-
ptas species sępissime a nostris magis minusve abludere; hinc potius
omnium differentias noviter ex ipsis plantis eruere, quam ab alio-
rum libris haud congruentes exscribere consultum duxi. Curavi etiam
ut hae differentię comparativę essent nec absolutę, ut scilicet cum illis
affinium specierum conferri possent, quo promptius notę illę quibus quęque
stirps ab affinibus discrepat dignoscerentur. Eadem de causa et generum
ge

3 characteres refeci, quorum notis et variam inflorescentiæ formam quando toto generi communem noveram addere placuit. Descriptiones adjeci quoties rarioris vel obscuræ vel ignotæ plantæ sermo erat. ~~Cujus nomen primi speciei scriptoris aut tantum auctoris indicavi speciei qui de plantis nostratibus expresse egerunt utpote magis ad rem facientes, hosque recensui ordine temporis quo eorundem opera prodiere, cæteros cauto omisi. Eadem parsimonia usus et synonimis, illa tantum excribens~~ quæ ~~hisce auctoribus propria aut nuperrime a laudabilioribus rei herbariæ magistris et nostratibus plantis indita~~. Icones paucas citavi, sed quasque optimas, sive plantas meas exactius ac cæteras referentes, nec unam quidem nisi a me visam, et cum planta cujus reddebat imaginem studiose collatam. Tali modo quot errores vitaverim etiam in melioribus Floris obvios ob nimiam scriptorum fidem in aliorum auctorum opera, unde diagnoses iconesque mutuati sunt, is unus sibi persuasum fiet, qui propriis oculis tantummodo fidens, pari dubitatione ac quasi religione hanc non ultimam Floræ alicujus partem sibi elaborandam suscipiet.

In nominibus tum genericis tum specificis eligendis ea quæ primitus, et ab inventoribus imposita fuerunt, ni omnino erronea essent, religiose retinui, posteriora etiamsi magis apta rejeci. Ne tamen aliquis verba hæc male interpretatus existimet, me in vetustioribus scientiæ patribus obsoleta plantarum nomina consulto aucupatum esse, ut linnæanis præponerem ac posterioribus, libet fateri, nomina generica ante Tournefortium, et specifica sive trivialia ante Linnæum plantis indita, utpote quæ ante Philosophiæ botanicæ exortum, ante generum specierumque legitimam distinctionem, ante legum quibus hæc scientiæ pars modo regitur lationem creata, et sæpissime

casu data, me judice, nulla auctoritate valere, et ideo nullam pro-
bationem mereri. Antiquorum nomina haud talia erant qualia
post Linnaeum botanicos admisisse cernimus, et si quae talia for-
tuito orta, hac ipsa de causa nec servari merebantur, nec multo
magis si jamdiu oblita et vetustate exoleta nunc temporis mere-
bantur restitui. Si Tournefortio et Linnaeo creationis generum glo-
riam concedimus, si hunc nominum trivialium statorem primum in-
ventoremque consensu unanimi botanici declararunt, quo jure, quaeso,
eorum nomina sive generica sive trivialia delere posse arbitramur?
Aut quomodo eadem nominibus postponere non erubescimus in anti-
quiorum operibus recensitis, cum horum auctores nec quid genus nec
quid species esset rite cognovisse confiteamur? Inconsequenti hac
ratiocinandi methodo quid insuper nos assecuturos esse putamus? Con-
tinuam nominum instabilitatem, synonimorum jam nimię copię
augmentum perenne, majorem scientię difficultatem atque incessabilem
confusionem, ne dicam eos qui sic agunt scientię detractoribus argumenta
laturos, quo veterem illam accusationem de rei herbarię futilitate, quip-
pe quę potius nominibus quam rebus studeat, renovent atque suffulciant.
Post nomen primi speciei statoris eos tantum auctores indicare placuit, qui
de plantis dalmaticis expresse egerunt, utpote magis ad rem facien-
tes, hosque recensui ordine temporis, quo eorundem opera prodiere, cae-
teros consulto omisi. Eadem parsimonia curavi et synonima, illa tan-
tum exscribens quę hisce auctoribus propria, aut a laudatioribus scien-
tię magistris et novatoribus nuperrime plantis indita. Nomina etiam
vernacula sive illyrica botanicis addidi, quorum ope plerique vegetabilia
citius ab exteris peregrinatoribus inveniuntur; ratus praeterea cum Lin-
naeo immortali nomina hęc " in floris specialibus multum lucis accendere "
" non modo ut facilius ab incolis addiscantur plantae, sed et ut ex vulgi "

„ nomine saepius ingeniose natura plantae innotescat „ Adjeci denique stationes, habitationes, et in variorbus etiam altitudinem loci, plantarum, earumdem vivacitatem, immo et florum colorem, quem stirpium nomini detegendo tyronibus sępe conducere mihi compertum erat.

Postremo usus pręcipuos certioresque notavi tum medicos tum oeconomicos, tum artium proprios, ut opus hoc aliqua valeret utilitate etiam apud illos, qui herbarum studio minime delectantur. Utque peculiares plan: tarum vires rusticis nostratibus pręcipue notas publici juris facerem, hisque Floram hanc exornarem, iisdem colligendis comprobandisque diligentem operam dedi, sciens aliquid novi apud ipsos latere, quod me: diis tentaminibus explorari merebatur. Quędam etiam pericula ad has: ce novas plantarum vires illustrandas egomet feci cum dulcissimo ac solertissimo sodali meo M. D. Vincentio Jadorov Sibenicensi, quibus vulgari illę opinioni certitudo quędam accessit, majoremque accessuram esse confido, ni Medici novitates has qualescumque de stirpium viribus aspernati, propria iterataque experientia easdem confirmare aut re: fellere dedignentur. Quos itaque enixe rogo, ne pręmaturo judicio sententiam meam utpote erroneam damnent, pręsertim quoad Ver: binę cataplasmata in obstructionibus viscerum abdominis, fumi foliorum Stramonii in asthmate, extracti Agaves americanę in hydrope, Oleę in febribus periodicis, decocti Statices furfuracęę in catarrho vesicali, herbę Gnaphalii angustifolii in cachexia aquosa pecudum, usquedum scilicet propria accurata et multiplici observatione pharmaca hęc votis suis minime respondere certe compertum habeant.

Inter dalmaticas eas tantum stirpes recensui quas vel ipse legi, vel quorum specimina apud herbarios indubia fide dignos, utpote in Dalma:

/.

tia lecta, vidi ego et inveni. Hujusmodi propositi tenax plures species, quæ in scriptis etiam recentioribus pro dalmaticis venditantur constanter rejeci, cum mihi certe constaret harum plurimas a viatoribus et botanophilis nimis festinanter inspectas, et in catalogum stirpium ab ipsis hic loci observatarum relatas, cum aliis affinibus in opere meo enumeratis perperam commutatas fuisse; plures duplici et diversa denominatione, quemadmodum a diversis peregrinatoribus nomine donabantur, non solum in distinctis sed in uno eodemque opere bis recensitas esse; non paucas tantum ex conjectura, cujus certe in hisce operibus nulla necessitas, dalmaticis immerito ascriptas. Plantas omnes operis hujus a memetipso visas et observatas esse ipsa libri frons edocet atque testatur.

Eas omnes, quas pluribus obvias detectasque fuisse constabat, nullo nomine prænotavi: eas tamen quas unicus invenit botanicus inventoris nomine religiose sancire studui, et ut is sui inventus laude jure merito gaudeat, et plantæ fide herbarii sui in flora nostra relatæ testis ipse et assertor existat. Qua in re num ille qui speciem mihi largitus erat idem invenerit, aut ab aliis communicatam acceperit caute distinxi, ne ullo modo læderetur sanctum illud effatum: Unicuique suum!

Et hæc ferme sunt ea de quibus lectores meos monitos desiderabam. Quos quidem benevolo animo opus hoc prosecuturos esse confido dummodo respicere velint non ad operis exacti rationem, in qua mendas certe plures humanæ fragilitate, ~~librorum penuria~~, ~~subsidiorum paucitate~~, ingeniique tenuitate irrepsisse nullus dubito, sed ad multiplices operis difficultates, quippe quod universa vegetabilia exhibere conetur loci asperrimi, æque invii, ac botanicis fere ignoti, cujus qui primus sermonem facere aggreditur,

ni multis validisque ~~auxiliis~~ subsidiis adjutus sit, necesse est atque inevitabile in plures errores incidat, posterioribus tantum inventibus observatibusque emendandos. Quorum errorum autem si viri in re herbaria periti ea humanitate, quae doctorum hominum est, certiorem me facient, non solo aequo animo feram, sed hoc mihi liberaliter praestituris jam me in antecessum quam maxime memorem ac devinctum publice profiteor polliceorque.